



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitte ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Deus est summe simplex. cap. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

lectum dissoluit omnimodā identitatem actualem eius, quod est, & quo est, ut superius dixi. Ad quartū respondeo dupliciter aliquid dici imperfectū secundum rationem, primum quidem ita, ut ratio obiectiva sit in se imperfecta, quia ratione in homine ratio animalis obiectivē est imperfecta, deinde vero ita ut sola imperfectio sit ex parte intellectus inadæquate, & imperfectē concipientis rem summe perfectā: prima potest dici imperfectio obiectiva, quæ repugnat Deo, nec est necessario cōiuncta cum compositione rationis, altera imperfectio secundum esse intellectum, quæ interuenit in compositione rationis: & hæc nō repugnat Deo, siquidem est formaliter in ipsis rationibus mentalibus, nec denominat Deum secundum esse actuale, sed secundū est intellectum: non enim quia mens creata inadæquatis rationib⁹ apprehendit essentiam diuinam, ea dicitur in se imperfecta, sed solum imperfecte apprehensa: hoc vero nullo modo redundat in aliquem defectum eius, sed intellectus non percipientis ipsam conceptu perfectō, & adæquato.

Deus est summe simplex.

CAPVT XV.

I. **E**xplicata utraque ratione simplicitatis diuinæ, quatenus negat componibilitatem actiuam & passiuam, restat, ut comparetur cum simplicitate rerū creaturarum. In primis autem videbitur esse creaturam magis simplicem Deo, quoniam in Deo est trinitas personarum realiter distinctarum, in Angelo vero non est vlla distinctio realis quoad substantialia; ubi vero est maior distinctio, ibi maior compositio. Præterea id videtur magis accedere ad simplicitatem, quod minus habet distinctionis: at creaturæ aliquæ minus distinguuntur, quā perfectiones attributales: ergo sunt magis simplices. Assumptio patet, quoniam distinctio solius rationis ratiocinantis est minor distinctione rationis ratiocinatæ, siue virtuali: attributa diuina admittunt hanc posteriorem, nonnullæ vero creaturæ solam priorem, ut patet in actuali existentia. Deinde suadetur esse æquē simplicem, quia sunt creaturæ carentes omni compositione intrinseca, siue passiuā, & quoad hoc sunt æquē simplices, ac Deus: nam ubi negatio nō permiscetur formæ oppositæ, nō est penes illā magis, ac minus: si vero sunt capaces alicuius compositionis actiuæ, hæc etiam secundum aliquos modos nō repugnat Deo, ut visum est supra, ergo non est, cur is dicatur simplicior eiusmodi creaturis.

Culiy comment. Theol.

Quoniam indignum est Deum quoad rationem aliquam perfectionis simpliciter sedere, aut saltem æqualem esse creaturæ, plerique ad huius dubij solutionem vim faciunt utrū simplicitas sit perfectio simpliciter. Affirmat Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. ar. Scot. gumentum cum Lycheto ibidem, & in re- Lychet. portat. q. 2. ad 1. Durand. 2. p. distinctionis Durand. q. 1. ad 1. Andreas de Nouo Castro q. 2. ad 1. Nouo Castro. contra secundam Conclusionem. Maior q. Maior. 3. in fine, quia, ut ait D. August. Bernard. & Augustin. Anselm. citandi num. 7. simplex perfectius Bernard. Anselm. est composito: omnis vero perfectio, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa, est perfectio simpliciter. Contra vero negant Holkoth in 1. q. 6. ad 1. dubium Al- Holkoth. liacens. q. 5. art. 1. lit. G. in fine, & Anton. Aliacensis. Andr. q. 1. ad 1. quoniam plurimæ res com- Anton. Andr. positæ sunt perfectiores simplicibus, ut mixta elementis, compositum physicum suis partibus, & in vniuersum semper totum est perfectius partibus: ideoque teste Arist. 3. Aristot. Phys. t. 66. hæc respectu illius habent rationem materiæ, totū vero respectu ipsarum formæ, iidem tamen Doctores concedunt simplicitatem, prout opponitur componibilitati esse perfectionem simpliciter. Verū nisi vis fiat in ratione negationis, quā nonnulli, quos retuli cap. 1. num. 10. negant esse perfectionem simpliciter, & cōsequenter dicunt simplicitatem, utpote attributū negatiuum, talem non esse, nisi inquam vis fiat in negatione, & solum consideretur id, quod melius est cuius enti, quatenus ens est, absque dubio dicendum simplicitatem habere rationem perfectionis simpliciter: quoniam, ut ait Anselmus, simplex, quatenus simplex melius, ac perfectius est, quam compositum. Parum vero refert utrū aliquod compositum secundum entitatem sit perfectius ex ratione alterius perfectionis simpliciter, nempe ratione complementi: nā ratio completi est etiam perfectio simpliciter; quia verò totū est ratio completi, & parti ratio incompleti, idcirco totum, quatenus magis actuale, est perfectius parte: quod recte notarunt Doctores superius citati: id vero non obstat, namque ut ait Anselm. in Monologio cap. 15. melius est Anselm. esse sapientem, quam non sapientem, licet enim iustus non sapiens, sit melior quam sapiens non iustus, tamen non sapiens foret melior si esset sapiens, itaque si abstrahantur aliæ rationes, quæ accidunt simplici, & composito, & relinquatur sola ratio simplicitatis, & compositionis, semper illud est nobilior hac: partes vero sunt imperfectiores toto propter alia, non præcisè ratione simplicitatis, & compositionis; sed iam ad

LII 2

ipsam

ipsam comparationē veniamus: cuius duæ erunt partes: in priore dicam, num simplicitas aliquo modo conueniat creaturæ: in altera vtrum quoad aliquid possit æquiparari diuinæ.

III.

Quod attinet ad priorem, dico primum, nullum ens creatum per se est expers compositionis cum alio, nonnulla tamen carent compositione reali ex alijs, non autem compositione rationis opposita simplicitati. Prima pars est communis Doctorum, quos referam num. 6. qui in eo maximè constituunt discrimen inter Deum, & creaturas, quod ille non sit componibilis cum alijs, hæ vero omnes maximè, & facillè conuincitur: quoniam creatura omnis vel est substantia, vel accidens, vtrunque vero horum est componibile, accidens quidè cum subiecto, substantia vero si est incompleta venit in compositionem completæ simul cum alia parte substantiali, si vero completa substat accidentibus, & cōsequenter venit in compositionem cum illis. Secunda quoque pars cōmunis est. Ita docent Alens. 1. p. q. 5. memb. 3. & 2. p. q. 12. memb. 1. Albert. 1. p. tract. 4. q. 20. m. 4. S. Thom. in 1. d. 8. q. 5. art. 1. & in 2. scripto q. 4. art. 1. S. Bonauent. art. 3. q. 2. Aegyd. 2. p. secundæ partis principalis q. 1. Richard. art. 3. q. 2. Scot. q. 2. Aureolus q. 4. art. 3. Bassolis q. 2. art. 3. Mayron. q. 7. art. 1. i. p. art. Holkoth q. 6. Conclusionē 1. Andr. de Nouo Castro d. 8. q. 2. art. 2. propositionē 2. Alliacens. q. 5. art. 1. lit. G. propositionē 3. Gabriel. d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 2. Heruæus q. 2. ad secundum. Et probatur, quoniam in compositione omni reali, præterquam compositi quanti secundum partes proportionales, sit resolutio in partes componentes, nō compositas: atque adeo partes, in quas vltimo fit resolutio, nō sunt compositæ realiter ex alijs. Tertia denique pars sumitur ex ijs auctoribus, qui cum fateantur compositionē ex genere, ac differentia, essentia, & esse nō esse realem, eam tamen negant Deo tanquā eius simplicitati repugnantem: quod etiam aliqui asserunt de potentia, & actu rei omnino indistinctæ. At non est vlla omnino res, etsi re ipsa incomposita, & indiuisibilis, quæ saltem non habeat compositionem ex esse, atque essentia, potentia, & actu, nulla enim res creata essentialiter vēdicat ipsum esse: & ita cum id cadat extra essentiam, facit cum ea compositionem oppositam simplicitati. At dicet aliquis ipsum esse creatū nō componitur ex esse, & essentia, nec ex potētia, & actu, sed solum est esse, & actus: & proinde est immune ab omni compositione ex his: Respondeo in primis assertio-

nem intelligi de entibus, non vero de esse, quod est actus omnium entium. Respondeo deinde cū Alberto in 1. d. 8. art. 2. q. 4. ad primum, Scot. q. 2. & Scotistis ibidē ipsum esse creatū componi, si non ex esse, & essentia saltē ex actu, & potentia. Ratio est, quoniam est dependens, ac participatū à causā primā: vbi vero est dependētia, & participatio necessario est ratio potentialitatis: nā id, quod dependet à causā efficiente respicit potentiam eius actiuiam, nō nisi per potētiam passiuam, si nō realem ac physicā, saltē obiectionem: & ita esse creatū antequā existat concipi potest solum in potētia logica, & obediēciali, vt sit: existens vero in potentia, vt conseruetur, ac permaneat: quod enim nō necessario permanet, & potest permanere, habet potētiam passiuam saltē Metaphysicā, vt permaneat: quare, cū ipsum esse, quod quod omnium actualissimū est, habeat in creatura admittā rationē potentia, omnis prorsus res, ac modus realis entis creati admittit compositionē ex actu, & potētia.

Quod vero spectat ad alterā partē comparationis. Alliacens. in 1. q. 5. art. 1. lit. G. ait simplicitatem dupliciter accipi: nempe quatenus opponitur pluralitati, & compositioni: vtrique adhuc dupliciter opponitur: pluralitati vel excludēdo omnē prorsus multitudinē tā realem, quā essentialē, vel solum essentialē: compositioni vero excludēdo compositionē ex his, & cū his. Hoc posito respondet essentiam diuinā nō esse primo modo simpliciter simplicem, quoniam admittit Trinitatem personarū realiter distinctarū: cui fauet dictū auctoris lib. de speculo cap. 20. vbi cum Deo loquens. Tu vero, inquit, Trinitas Deitatis, personarū pluralitate multiplex, & ita iuxta eum modū ait Alliacus Trinitatem nō esse tam simplicem, quā sit quævis persona, quia essentia est plures res, nō autē persona: subdit tamen simplicitatem hoc modo sumptam non dicere perfectionē simpliciter, & idē mirū non esse, si nō conueniunt essentia diuinæ. Hic dicendi modus, tamēti materialiter sit verus posita acceptione terminorum, tamen non est verus formaliter, nec usurpandus: quia cum Deus sit summe simplex, nō est absolutē concedendum deesse ipsi aliquid pertinens ad rationē simplicitatis, aut personā esse magis simplicem, quā sit essentia. Et D. Aug. lib. 6. de Trinitate cap. 7. contendit pluralitatem personarum non officere simplicitati. Quod etiam docent ex professo Alens. 1. p. q. 5. m. 2. Albertus 1. p. tract. 4. q. 20. m. 3. ad 4. Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. q. 1. & communiter omnes Scholastici fatentur in materia de Trinitate.

Et con-

Alens.
Albertus.
S. Thom.

Bonauent.
Aegyd.
Richard.
Scotus.
Aureol.
Bassol.
Mayronius.
Holkoth.
Nouo Castro.
Alliacens.
Gabriel.
Heruæus.

IV.
Alliacens.

Auctor lib. de
spec.

Augustin.

Alens.
Albert.
Bonauent.

Et confirmatur, quoniam simplici opponitur multiplex, ut patet ex Philosopho in Metaphys. verbi gratia duplex, triplex, quadruplex, &c. hæc enim sunt quasi species multiplicis: atque adeo, si propter Trinitatem personarum Deus recederet à simplicitate, diceretur triplex: id vero negat Augustinus ibidem: ex quo patet non admittendam locutionem auctoris libri de speculo, qui refertur inter opera Augustini, non tamen illius est, ut docti viri notarunt. Ratio vero traditæ doctrinæ, non est ea, quam reddit Gabriel. in 1. d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 3. volens ut pluralitas simplicitati opposita importet distinctionem realem, & essentialem plurium inter se, & à toto, quod integrant, nititur enim opinioni dubiæ de distinctione reali totius à partibus simul sumptis: ratio igitur est, quoniam non quævis pluralitas opponitur simplicitati, sed ea solum, cuius unitates admittunt compositionem actiuam, vel passiuam: singulæ personæ passiuam non habent, ut patet ex dictis, ad actiuam vero requiritur, ut unitates coniunctæ faciant vnum ex omnibus simul unitis resultans, ita ut singulæ non sint totum, quod sunt, sed integrent vnum constans omnibus ijs, hoc enim significat multiplex, nempe vnum constans multis: at singulæ personæ diuinæ sunt totum, quod sunt, completæ, ac perfectæ in ratione essentiali, ac suppositali: nec integrant, aut componunt Deitatem, sed in illa tanquam in propria natura subsistunt: & ideo Diuus Augustinus lib. 11. de Trinitate cap. 10. hæc, inquit, Trinitas vnus est Deus, nec ideo non simplex, quia Trinitas, & subdit rationem, quia non dicitur simplex ab unitate personæ, sed ex eo, quod in ea est hoc ipsum, quod habet, excepto, quod relatiuè quævis persona ad alteram dicitur. At inquit integrant tamen Trinitatem, cuius sunt partes: ternarius enim personarum constat singulis earum unitatibus, atque adeo Trinitas non est simplex. Respondeo modum integrandi numerum non obstare simplicitati, quoniam unitates non vniuntur, aut copulantur inter se tanquam partes vnius entis resultantis ex ipsarum coniunctione: & ita personæ diuinæ non aliter sunt vnum, quam eiusdem naturæ communicatione: ratio vero proprietatum, & hypostaseon sunt potius oppositæ, nempe relatiuè, quam coadunatæ in vnum aliquid ex tribus conflatum.

turis quoad compositionem ex partibus intrinsicis, censet idem Alliacensis, simplicitatem non esse illi propriam, sed communem cum creaturis: quia, ut supra dicebam, necessariò deueniendum est ad aliquas expertes omnino compositionis realis. Hoc dictum si intelligatur de simplicitate sumpta pro præcisâ negatione compositionis passiuæ realis, verum est: Veruntamen etiam cum loquimur de simplicitate secundum hanc acceptionem, absolute concedi debet Deum esse maximè simplicem inter omnes res: tum quia caret omni compositione rationis sonante imperfectionem, qua non caret creatura, ut antea dictum est, tum quia, ut de unitate dictum est, perfectio simplicitatis non consistit in sola negatione compositionis, sed in connotatione entitatis simul cum negatione: & quia Deus Optimus Maximus est pelagus perfectionis infinitæ, continens absque compositione vllâ perfectiones omnes, quæ in creaturis non nisi compositæ reperiuntur, est maximè simplex: nam in eo est essentia & esse, natura ac suppositum, vita & actus vitales, potentia & operationes absque vlla multiplicitate & compositione, in creatura vero non nisi cum compositione. Itaque, si conferatur vita diuina cum creata, multo simplicior est, quam illa: quoniam vita creata componitur ex substantia & esse, inuoluit potentias & actus, & reliqua omnia, quibus homo viuit: diuina vero eas omnes perfectiones vnica simplici entitate complectitur: ideoque licet quoad puram negationem realis compositionis creatæ aliquæ sint omnino simplices, adhuc tamen absolute dicendū est Deum secundum rationem compositionis ex his esse magis simplicem omnibus creaturis. Quam doctrinā optimè, & clarissimè tradidit Richard. de S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 20. Incomparabiliter, inquit, & incomprehensibiliter, super huiusmodi omnes, nempe unitates, quas ante numerauerat, constat hanc fore, quæ in infinitatis identitate habet summe simplex, & incommutabile esse: in illo itaq; summo bono, vniuersaliterq; perfectio unitas vera, unitas in illo summa, simplicitas in illo est vera, & summe simplex identitas. Ibi quod adhuc mirabilius est, vera unitas cum plenitudinis vniuersitate, ibi summa simplicitas cum perfectionis immensitate, ibi summe simplex identitas cum totius con summationis infinitate, attende ergo quam sit incomprehensibilis, & omnino inestimabilis: simplicitas illa vera, & summe unitatis. Eodem videtur respexisse Commentator lib. 12. Metaphys. Comment. 17. cum dixit primum

Alliacensis.

Rich. Victor.

V.

Quod si comparetur Deus cum crea-

Giliy comment. Theol.

LII 3

mouens

mouens esse infinitæ nobilitatis, simplicitatis, & unitatis: nam, si solam negationem compositionis attenderet, non eratur simplicitatem Dei appellaret infinitam, respexit itaque ad infinitam nobilitatem, & perfectionem entitativam: ratione cuius simplicitas merito dicitur infinita, quatenus vna perfectio æquipollens infinitis componibilibus, ipsa in se absque vlla componibilitate est totum, quod est.

VI.

Tandem, si fiat comparatio secundum negationem compositionis actiua, siue cum his, Deus solus est simpliciter, & absolute simplex. Hæc est Alberti. i. p. tract. 4. q. 20. memb. 4. & 5. Alensis, Sancti Thom. S. Bonavent. Ægyd. Rich. Scoti. Aureol. Mayron. Bassol. Gabriel. Heruæ. vbi supra Henr. in summ. art. 29. q. 8. Holkoth. q. 6. Conclusionem 2. Andr. de Nouo Castro dist. 8. q. 2. art. 2. propositionem 1. Dionys. Cisterciensis. quæst. vn. art. 2. Alliacensis. q. 5. art. 1. lit. G. propositionem 4. Maioris q. 3. in fine, Antonij Andreæ quæst. 2. Et patet ex dictis, quoniam creatura omnis est componibilis alteri realiter: quamuis autem sint aliquæ compositiones, quæ non videntur reales, verbi gratia ex genere, ac differentia, ex potentia, & actu non distinctis realiter, nihilominus eadem res componi possunt cum alijs à se realiter distinctis: verbi gratia animal, rationale, & omnes gradus Metaphysici hominis componuntur in Petro cum accidentibus: & ita non est vllum ens non componibile realiter alicui alteri: est & alia imperfectio rerum hoc modo componibilium: quoniam eiusmodi aptitudo provenit ex defectu perfectionis propriæ, quæ suppletur accessu alterius rei: verbi gratia humanitas ita est perfecta in suo genere, ut careat, & indigeat perfectione accidentium, quorum habet naturalem appetitum: at Deus secundum se consideratus non est indigus vllius perfectionis alterius à se, ideoque non habet naturalem ordinem, aut appetitum, ut componatur cum alijs. Quod si in mysterio incarnationis Verbum diuinum quodammodo componitur cum humanitate tanquam suppositum cum natura, is modus compositionis ineffabilis non officit perfectioni simplicitatis diuinæ: plurimum namque distat à modo, quo suppositum creatum componitur cum tota natura, nempe ex indigentia vtriusque: naturæ quidem ut terminetur, atque subsistat: suppositi autem ut habeat fundamentum suæ subsistentiæ, quæ esse nequit absque natura, cuius modus, & terminus est. Præterea nec suppositi talitas per se sola, neque natura creata est vnum simpliciter perfectum in genere sub-

stantia, sed suppositum ex vtraque coalescens: & ita natura, & suppositi talitas creata respectu suppositi subeunt veram, ac propriam rationem partis: non enim inconueniens est, ut quod est completum in genere naturæ habeat rationem partis respectu suppositi constituti ex illa, & modo suppositi talitatis. At in mysterio incarnationis Verbum diuinum, quod supplet vicem suppositi creati, non eget ope alienæ naturæ, ut subsistat: neque ipsa habet rationem entis incompleti, sed permanet totum completum, atque perfectum: & ideo non dicitur propriè pars nec componibilis alteri compositione opposita simplicitati.

Ex his constat Deum absolute, & absque distinctione esse summe simplicem super res omnes creatas. Quod fusè per varia rerum simplicium genera discurrendo ostendit Albertus i. p. tract. 4. quæst. 20. m. 2. & 4. & in i. d. 8. art. 24. & adeo verum suppositum Augustinus, ut solum Deum absolute simplicem vocet, creaturas autem comparat, ut patet lib. 11. de Ciuitat. cap. 10. est, *solum bonum simplex, quod est Deus: & ob hoc solum incommutabile est, ab hoc bono creata sunt alia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia*, & lib. 6. de Trinit. cap. 6. ex instituto probat solum Deum esse simplicem, & Bernard. serm. 80. in Cant. sola, inquit, *summa, & increata natura: hanc sibi vendicaueram, singularemque, suæ essentia simplicitatem, ut non aliud, & aliud inueniatur in ea*, fundamentum huius est, quoniam Deo tribuendum est id, quod est melius, ac perfectius: & consequenter etiam concedendus excelsus in omni perfectione cum creatura aliquo modo communi: at ut ait Bernard. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 7. *Natura simplex multiplici antefertur*. & Anselmus in Monologio cap. 17. & de incarnatione Verbi cap. 6. *Omne simplex, quia simplex est perfectius composito*, & ut ait Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 11. *pluris perfectio habendum est id, quod diuidi non potest: præponamus igitur necesse est, & quod minus diuidi potest: omnino ergo præponendum est, quod omnino diuidi non potest, & omni compositione caret*. Idcirco autem simplicia præstant compositis, quoniam quatenus simplicia, magis entia sunt: ut enim ait Augustinus de moribus Manichæorum, cap. 6. *nihil aliud est esse, quam vnum esse: & ita, quæ magis vnum sunt, magis sunt: quæ vero sunt vnum simplicitate, sunt magis vnum, quam quæ compositione*. Hanc rationem videtur attigisse Hugo de Sancto Victore in cap. 7. celestis hierarchiæ his verbis: *Vnum collectione dicitur, & vnum compositione, & vnum similitu-*

VII.

Albert.
Alensis.
S. Thom.
S. Bonavent.
Ægyd.
Richardus.
Scot.
Aureol.
Mayronius.
Bassol.
Gabriel.
Heruæ.
Henricus.
Holkoth.
Nouo Castro.
Cisterciensis.
Alliacensis.
Maior.

Albert.

August.

Bernard.

Anselm.

Augustinus.

similitu-

*similitudine: quæ omnia, quia non totū quod sunt, vñ sunt verè vñ non sunt, & vñitatis nomen si-
militudinet autē mutuatur, non proprietate: di-
uina autē natura, cuius est vñ esse, & simplex esse
totum q̄ est verè vñ esse est: & ideo recte nō solū
monas, sed enas quoq; appellari debuit, quia vñ
taseius in verè eiusdem. atq; indiuisæ substantiæ
semper simplicitate subsistit. Itaq; magis est id,
quod est, res simplex, quam composita:
quia simplex est totum suum esse: nihil e-
nim in ea est, quod non sit ipsa: composita
verò non est totum, quod est, imò singulæ
eius partes non sunt idem, quod ipsa: atque
adeo, cum Deus sit idem, quod ipse per se-
stissimo modo, quo esse aliquid potest, ne-
cessarium est, vt sit simplicissimus: & ex-
cedat omnem modum simplicitatis reper-
tum in creaturis.*

VIII.

Ad primum respondetur non quam-
uis distinctionem arguere compositionem
passiuam: sed eam, quæ intercedit inter
plura concurrentia ad consilandum vnam
entitatem: & consequenter solam hanc, si
sit maior, arguere maiorem compositio-
nem, ac distantiam à simplicitate. At plu-
ralitas personarum diuinarum non com-
ponit vllam entitatem vnam: in diuinis e-
nim non est alia vnitas communis tribus:
quam vnitas essentiæ: hæc autem non
componitur ex personis, quæ ratione eius
sunt vnum secundum essentiam: ideoque
eiusmodi pluralitas, ac distinctio non in-
ducit vllam compositionem: & propterea,
quamuis sit maior quam distinctio reper-
ta inter prædicata substantialia Michaelis,
non proinde arguit maiorem componibi-
litem, & distantiam à simplicitate. Ad se-
cundum respondeo solam distinctionem
rationis virtualem non repugnare simpli-
citati diuinæ: imò magis illam commen-
dat, quatenus indicat infinitas perfectio-
nes in creaturis multiplici distinctione
compositas conuenire in Deo in vñā sim-
plicem, & indiuisam entitatem: Quin vero
nulla est creatura, quæ in ipsa distinctione
rationis non inuoluat aliquam imperfecti-
onem, vt patet in ipsa existentia in argu-
mento adducta: hæc enim, vt est actu in
hoc momento cum aptitudine, ac indiffe-
rentia ad permanendum in sequenti tem-
pore, est cōposita saltem Metaph. licet ex
actu, & potentia. Ad tertium dicendum
est, licet aliquæ creaturæ careant omni
compositione reali intrinseca, omnes
tamen habere compositionem ex actu,
& potentia, & alijs similibus, quæ in
Deum minime cadunt. Deinde vero om-
nes esse componibiles alteri veræ, & reali
compositione propter imperfectionem, ac

limitationem propriæ entitatis intrinsece:
Deus autem, tametsi in ratione suppositi
venire possit in compositionem compositi
ineffabilis, ea tamen non est proprie com-
positio, nec supponit imperfectionem in
Deo, nec vllō modo repugnat eius omni-
modæ simplicitati.

TRACTATVS QVINTVS, DE IDENTI- TATE PERFECTIONVM diuinarum.



Dentitatem esse quandam essen-
tiæ vnitatē docuit Philosophus
lib. 5. Met. c. 9. tex. 16. quod non
est intelligendum formaliter,
quasi identitas sit priuatio, siue indiuisio,
sed materialiter quoniam in vñitate fun-
datur: & ideo lib. 10. tex. 10. ait idem Arist.
idem, simile & æquale pertinere ad vnum:
ad multitudinem vero diuersum, dissimi-
le, & inæquale. Ex quibus constat idem,
atque diuersum opponi suo modo secun-
dum indiuisiōem, ac diuisiōem: quæ-
cumq; enim idem sunt, quatenus talia, sub-
eunt indiuisiōem sub aliqua ratione, qua
conueniunt: diuersa vero diuisiōem: & i-
deo post tractatum de vnitate, & simplici-
tate diuina, quæ in negatione consistunt,
sequitur, vt dicam de identitate, ac diuer-
sitate perfectionum diuinarum, quæ sunt
respectus fundati in vnitate, vel multitudi-
ne, & quamuis diuersa à multis dicantur so-
lum ea, quæ seipsis primo distinguuntur,
quin conueniant in ratione aliqua vniuo-
ca, tamen diuersum, quatenus est opposi-
tum eiusdem, vt docet Arist. cap. 9. cit. su-
mi debet latius, vt comprehendit etiam ea,
quæ proprie differunt: nam Alexander, &
Bucephalus proprie differunt, & tamen
quatenus non sunt eiusdem speciei, dicun-
tur etiam diuersi secundum speciem. Ve-
rum causā vitandæ æquiuocationis omit-
tam nomen diuersitatis, & vtar nomine
distinctionis, quo Theologi communiter
vtuntur. Quoniam vero magna est inter
Theologos controuersia de natura distin-
ctionis, & de varijs generibus illius, præ-
mittendum breuiter est quid sit iden-
titas, quid distinctio, & quot
vtriusq; modi.

Aristoteles.

Aristot.

(.)